

## LECTORI SALUTEM

*Novam ephemeridem adgredientibus, cum tot tamque varii iam exstent de omni re commentarii, opportunum visum est haec nonnulla verba praemittere.*

*In primis hoc manifestum pateat, nos non alienas sed ecclesiasticas potissimum ingredi disciplinas, quas quidem et perquirere et evulgare multae optimaeque ephemerides hinc illinc curant. Quod tamen nobis fuit incitamentum atque stimulus, ne diutius Pontificia haec Universitas propriis careret commentariis.*

*Nec immerito. Nam, cum haec nostra Universitas, anno MCMXL feliciter instaurata, brevi tempore eo creverit ut plures in dies evaderent Professorum editi aut edendi labores, eorumque influxus et doctrina longe lateque diffunderetur, non tantum Hispania, sed aliis quoque dicionibus praesertim Hispanoamericanis, quorum undecim Statuum alumni aulis nostris adsunt, necessitate adducti sumus ad ephemeridem, quae his laboribus et conatibus Professorum moderandis et evulgandis inserviret et vinculum cum collegis aliarum universitatum emeritisque alumnis foret, edendam.*

*En igitur scopum huius ephemeridis, quae «SALMANTICENSIS», voce atque nomine egregio inscribitur, utpote quae illius pristinae Universitatis glorias aemulatur, cum qua haec nostra instaurata Universitas contuncta est.*

*Ii vero commentarii, quamquam universae huius Academiae index et praeconium habebuntur, tamen, cum alii iam commentarii typis mandentur, nempe «HELMANTICA», classicarum litterarum Facultatis organum, et «REVISTA ESPAÑOLA DE DERECHO CANONICO» ab Instituto vulgo «San Raimundo de Peñafort» ex «Consejo Superior de Investigaciones Cientifi-*

cas», *Facultati Iuris Canonici huius nostrae Universitatis adscripto, in quo et primas agunt partes magistri huius Universitatis, quaestiones tum theologicas cum philosophicas potissimum, ratione quidem scientifica, in eorundem fasciculis ter in annum edendis, agitabuntur et diligentissime perpendentur.*

*Praeclara illa Salmanticensis Universitatis documenta, copia et doctrina insignia, seu nondum typis edita seu parum explorata, edenda in votis est. «SALMANTICENSIS» capiet quoque adnotationes et commentariolos de re scientifica hodierna et de libris recens editis, quorum notitia et iudicium, aut in sectione bibliographica aut per eos quos vocant «Boletines bibliográficos», proferetur.*

*Hunc primum libellum seu fasciculum antiquae illi et clarissimae Universitati Salmanticensi septingentis annis provectae, cum bonis ominibus votisque et precationibus Beatae Virginis Mariae, anno ab ipsius Conceptionis dogmatica definitione centenario recurrente, libenter dicamus, ut orsis tantum operis succesus prosperos dare velit.*

*Salmanticae, Kal. Ian. a. D. MCMLIV.*

*Consilium Commentariis moderandis.*